



Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Iesus Christus vti in maiestate ad vniuersale sit iudicium venturus, &
vnicuiq[ue] pro vt meruit, gaudia vel tormenta redditurus Glorif. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

gratiam, & post hanc vitam, propter eiu sdem dilectissimæ virginis & gloriosissimæ matris tuæ merita, ad felicissimam illam (qua tecum nunc assumpta gaudet in cælis) statim post mortem perueniam lætitiã, Amen.

Iesus Christus vti in Maiestate ad vniuersale sibi iudicium venturus, & vnicuique prout meruit, gaudia vel tormenta redditurus.

GLORIFICATIO XV.

A Ve retributio omnium Sanctorum, merces magna nimis, requies & corona omnium electorum, Domine Iesu Christe: Adoro te in fine mundi venturum iudicem viuorum & mortuorum, & vnicuique secundum sua merita gaudiorum præmia, aut tormentorum supplicia redditurum. Tibi igitur laus, honor, virtus, & gloria in regno Patris tui.

Confessio: diuina excellentia propria, humana malitia accusatio, & ad iudicium præparatio.

O Iesu amabilissime, confiteor gloriam summæ potestatis tuæ, confiteor veritatem summæ sapientiæ tuæ, confiteor gratiam summæ benignitatis tuæ: Confiteor etiam me reum omnium peccatorum meorum, quia te creatorem meum contempsi, quia te Dominum summæ Maiestatis corde, ore, opere & consensu offendere non timui, in lumine veritatis tuæ non ambulavi, tibi factori meo ingratus semper existi, tibi Patri summæ bonitatis non obediui. Sed quia maior est tua bonitas, quam mea iniquitas, obsecro te per ineffabilem misericordiam tuam, ne peccata mea referres iudicio tuo, neque intres in iudicium cum condemnabilissimo seruo tuo: sed da mihi gratiam contritionis & veræ poenitentia, emendationem totius vitæ meæ secundum omne beneplacitum tuum, compunctionem cordis, lachrymas humilitatis, & perfectionem intensissimæ & feruentissimæ charitatis, vt sic per veram & puram confessionem, per deuotam & perfectâ tuæ voluntatis obedientiam in hac vita, per tuæ sanctissimæ & innocentissimæ passionis, per gloriosissimæ matris tuæ purissimæ virginis Mariæ & omnium electorum tuorum merita, à peccatis omnibus merear expurgari, tibiq; ex toto corde reconciliari: vt sic plenè tibi reconciliatus ac Sacramentis tuis munitus, non ad iudicium de hoc mundo egrediar, sed beato sine requiescens, statim à te sempiternam benedictionem & felicissimam Sanctorum omnium societatem suscipere merear, impetrantibus mihi sacrosanctis tuis quinque vulneribus, quæ in gloriosissimo corpore tuo ad consolationem electorum, & damnationem reproborum refernasti, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas per infinita secula Deus sublimis & gloriosus, ab omnibus creaturis venerandu. & adorandus, Amen.

Libri Meditationum

FINIS.

XX 4 IN